



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per
Aphorismos Strictim Explicatum**

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Saracenis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

clausas habere coguntur; c. quia. 4. hic. In diebus passionis dominicæ in publicum prodire vetantur; c. in nonnullis. 15. §. in diebus. eod. Habitum, per quem à Christianis discernantur, utriusque sexus, uti jubentur; d. c. in nonnullis. Judæi Medici Christianos in infirmitibus invisere, eis medicamenta præbere, in eisdem cum eis balneis esse prohibentur. c. nullus. c. omnes. 28. qu. i.

Quæ si Judæi non servaverint, puniuntur; vel in personis, ut c. sepe. dift. 28. vel pecuniariter, c. cum sit. hic. vel spiritualiter, sed indirectè, ut cum fideles eis participantes excommunicantur. c. et si Iudeos. hic. c. quanto. de usur. c. de terris. de decim.

Christianum mancipium si habeant, illud, quicunque Christianus, datis duodecim solidis, vel ad ingenuitatem, vel ad servitium redimere potest. c. i. & 2. hic.

Judæi qui prædicta servant, nec ad fidem Christianam cogi: c. sicut Iudei. 9. hic. nec in personis, nec bonis violari; nec in festivitatibus molestari, nec eorum cœmeteria violari, corpora humata effodi debent: qui contra faxit, vel officii privatione, vel excommunicationis censurâ plectitur. c. sicut Iudei. 9. hic.

De Saracenis.

T I T. VI.

SAracenos hic itidem intelligimus, non exigente, sed religione.

Accipiuntur & hic propaganis, seu gentilibus; quamvis propriè gentiles sint, qui idola colunt, eisque sacrificant; l. 2. C. de pagan. Saraceni verò utrumque testamentum, vetus & novum, saltem ex parte admittant, sed multifariam peccant; Christum Salvatorem esse negantes; loca erroribus suis contraria, à nobis esse corrupta afferentes.

Hi

Hi eisdem fere pœnis, quibus Judæi, subjacent. Nam Meschitas extruere vetantur; *Clem. un. de Iudeis.* simulacra extruentes, dejiciuntur & morte afficiuntur; *c. non solum.* 28. *qu. 1.* mancipium Christianum habere prohibentur; *c. Iudei.* 5. *de Iudeis.* honoribus & dignitatibus removentur; *c. cum sit.* 16. *c. ex speciali.* 18. *eod.* distinctorio à Cristianis habitu incedere jubentur; in die passionis Dominicæ in publicum prodire vetantur; *c. in nonnullis.* 15. *eod.* Christiani ab eorum communione sub pœna censuræ Ecclesiasticæ abstinere jubentur; *c. s̄apē. c. seq.* 28. *qu. 1.* nisi cum eis, ad fidem Christianam convertendi gratiâ vivant; *c. quam sit.* *eod.* Eis subsidium tempore belli dantes, prohibitas merces, ut arma vendentes, curram eorum navium gerentes, excommunicantur, bonorum privatione mulctantur, capientium servi fiunt. *c. ita.* 6. *c. significavit.* 11. *c. quod olim.* 12. *c. ad liberandum.* 17. *eod.*

De Hæreticis.

T I T. VII.

Hæreticus (ab hæresi, id est, electione dictus), est qui sibi eligit doctrinam singularem, & à sensu Catholicæ Ecclesiæ alienam; *c. hæresis.* 24. *qu. 3.* eamque pertinaciter defendit. *c. qui in Ecclesia.* 24. *qu. 3.*

Non ergo Hæreticus censendus, qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam, nullâ pertinaci contentione defendit; præsertim, quam non audaciâ suæ præsumptionis pepererit, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus accepit; & veritate, quam sollicitè quaerit, inventâ, corrigi paratus. *c. dixit Apostolus.* 24. *qu. 3.*

Tria ergo, ut quis possit puniri ut Hæreticus, requiruntur: 1. Falsum eum dogma tueri, & ita in articulis fiduciis,

R.